

repetendam. In Orientali Ecclesia quamvis hanc consuetudinem ab Apostolorum tempore servatam invenimus, tamen non defuerunt Presbyteri ac etiam de ordine Episcopali, qui matrimonio juncti fuissent. Verum non ita evenit in Latina Ecclesia; nam ibi D. Petrus quotquot Episcopos, Presbyteros et Diaconos ordinavit, continentiae legi subiecit; Bellarmin., Vasquez, Arcudius, Thomassin. alique doctissimi viri firmissimis adducti fundamentis. Tertullianus enim de clero Africano loquens: *Quanti, ait, in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suae honorem (in primævum paradisi statum) restituerunt, quique se jam illius avi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, et totum illud quod intra paradysum non potuit admitti; Lib. de Exhort. castitatis, cap. 11.* Vocem porro dicaverunt aperte hic votum ac professionem significare censet Cl. Perrone in suis Prælection. Theolog., tract. de Ordin. cap. 5, n. 155. Patres etiam Concilii Carthaginensis II, anni 352, castitatem in Sacris Ordinibus ex Apostolorum doctrina agnoverunt: Canone enim 11 hæc leguntur: *Quum in præterito Concilio de continentia et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes adnexi sunt. Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, ita placuit, ut concedat Sacrosanctos Antistites et Dei Sacerdotes, necnon et Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Præterea ad hujus legis antiquitatem firmandam quam maxime facit celebris illa D. Augustini regula, his concepta verbis: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Hinc factum ut Siricius in sua Epistola ad Himerium Episcopum Taronensem, anno 385 scripta, ita loquitur, ut omnes Cælibatus lege, ab Apostolo instituta, teneri, sine ulla prorsus dubitatione affirmet, perspicue eam vetustissimam in Ecclesia demonstrat, atque in transgressores tanquam gravis criminis reos animadvertat. Quæ vero a Siricio fuerant sancita, servanda penitus esse rescripsit Innocentius I, anno 405, ad Exuperium Episcopum Tolosanum. Atque ita cæteri Pontifices qui hanc Cælibatus legem in majoribus Ordinibus constitutis impositam, confirmarunt. Ea vero ratione sese gesserunt Concilia tam generalia quam particularia, quæ hujus legis meminerunt, ut satis insinuant se novam legem non condere, sed ab Apostolica sanctione emanatam instaurare ac confirmare. Paulatim ex Ecclesia Latina lex

(1) Non una est Doctorum mens in ætate determinanda qua hoc Concilium celebratum fuerit. Regimon etenim manifeste errans, dicit illud anno 612 habitum. Natalis Alexander vero anno 688. Pagius anno 691. Petavius, Harduinus pro anno 705 et 707 stant. Sed Binius, Labbe, Papebrochius, Christ. Lu-

Cælibatus ad Orientis Ecclesias devenit; et quemadmodum antea Clerici ad castitatem servandam consuetudine, postea lege fuerunt obstricti. Attamen a primævæ disciplinæ puritate recedentes, majoribus Clericis integrum fuit uxores ante ordinationem susceptas retinere, et tantum Episcopi castitatis legi obnoxii fuerunt. Quod vero Socrates asserit de filiis plurium Episcoporum, tantum de Patriarchatu Constantinopolitano intelligendum esse tenet Dr. Doellinger Orig. Christian. Denique in Synodo Trullana anni 692 (1), tantum antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ formam servare curarunt, cum reapse Cælibatus legem penitus evertabant can. 12, 13, 48. Quamvis enim ibi nullum declaratum fuerit matrimonium post Ordinationem contractum, tamen solis Episcopis illius usus proscriptus, et eorumdem uxores Monasteria procul ab Episcopo exstructa ingredi jubentur; tota præterea continentia a Presbyteris et Diaconis requisita erat, quando Altari essent ministraturi: et ita in Ecclesia Græca quoad Cælibatum se res habet. Doellinger, l. c. Append., § 11. Quoad Ordines vero Diaconatus inferiores, varia primum fuit Ecclesiarum disciplina, deinde vero in Ecclesia Latina Cælibatus legi tantum Subdiaconi subjecti. Vid. Thomassin.; Perrone loc. cit., et præcipue Zaccar. in sua præclara dissertatione, cui titulus *Storia Polemica del Celibato Sacro*. Vid. etiam Not. Edit. Neap. ad n. 1 Auctoris, ubi fere eadem invenies, sed non eodem ordine.

(9. Convenientissime porro lex Cælibatus sacris Ministris est imposita, utpote quæ vitæ sanctimoniam præferat, quæ ad rite sacra munera obeunda non ducunt, removeat impedimenta; quæque cum ecclesiasticæ vitæ instituto maxime faciunt, inducat. Equidem nemo inficiabitur legem Cælibatus ratione objecti esse sanctissimam: sufficeret sane inspicere quemadmodum Justinus, Athenagoras, Origenes, Minutius Felix, Christianæ Religionis Apologistæ illustres eam omni laude cumularunt, et inter ipsius præcipuas glorias adscribere non dubitarunt. Sufficeret quoque unanimis Patrum consensus, sed et Christus ipse et Apostoli verbo et exemplo eam commendarunt. Matth. XIX, 11; I Corinth. VII per integrum. Imo uti etiam Athanasius, necnon cæteri Patres loquuntur, Christus *inter cætera dona largitus est nobis in virginitate exemplar angelicæ sanctitatis.* Insuper, quod et illius sanctitatem liquido demonstrat, perspicuum est ex Apostolo l. c. et Patrum testimoniis virginitatem conjugio esse præstantiorem, de qua inter cæteros Chrysostomus, Lib. de Virginitate, cap. 11, sic loquitur: « Virginitas est bonum: id ego quoque fateor; atqui nuptiis etiam melior: et istud tibi assentior; ac si libet, illud adjungam, tanto nuptiis eam præstare, quanto

pus, alique cum Baronio verius asserunt anno 692 fuisse celebratum. Quod equidem egregie Zaccaria adversus Natal. Alexandr. firmat ex ipsis Concilii verbis Canon 5 in sua Historia Polemica Sacri Cælibatus lib. I (EDIT. CASIN.).

cælum terræ, quanto hominibus Angeli antecellant, ac si quid præterea audendum est, etiam, etc.» et Concilii Tridentini sess. 24, cap. 10, anathemate perstringitur qui dixerit: *Non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut Cælibatu, quam jungi matrimonio.* Cum igitur Sacer ministrorum Dei status, quo homines tanquam Aaron in sortem Domini vocantur, reliquos sanctitate et excellentia longe præstet, sanctius et sublimius vitæ genus exinde postulat: quapropter ad legem Cælibatus servandam, utpote sanctissimam, convenientissime Clericos teneri nemo est qui neget. Paulus præterea, l. c., clamat dicens: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Officia vero Sacrorum Ministrorum præcipua sunt sacrificium offerre Deo, orare, præesse, docere, Sacramenta ministrare, infirmorum, et pauperum gerere curam, atque alia id genus charitatis et Religionis officia præstare. Si igitur Sacerdos *alligatus* esset uxori, utique *quæ sunt mundi sollicitus esset, quomodo placeret uxori, et a Deo divisus, atque alienis curis a rite Sacris muniis obeundis distractus.* Porro si teste Apostolo II Timoth. II, 4: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut magis sit expeditus in suis officiis exsequendis, nemo est qui non videat ab his omnibus liberum esse cælibem Ecclesiæ ministrum.* Postremo non præmittendum censuimus brevi perpendere Christianæ Religionis propagationem magna ex parte huic Cælibatus legi esse ascribendam; non enim intelligere possumus quomodo Congregatio illa omnium maxima de Propaganda Fide stare posset, nisi Ministri Divino cultui mancipati, huic de castitate servanda tenerentur legi; neque profecto quotidie tot in tam longinquas et barbaras pergerent nationes, nam adeo pauci invenirentur, qui uxorum filiorumve precibus, gemitibusque obsistentes, sine reditu spe, Missionem aggredierentur. Et quantæ utilitatis sit Cælibatus respectu Missionariorum, facile est colligere, si inspicatur quam impari exitu et dissimili causa Missionem suscipiunt Catholici et Protestantes.

(10. Reliquum est ut paucis expendamus Cælibatus legem, neque juri divino, neque naturali adversari. Et primo quod juri divino non obstat, id ex superiori numero allatis facillime deprehendere quisque potest; nemo

etenim tam obtusæ mentis nusquam invenietur qui aliquo pacto suspicatur, quod Christus sanctificavit quoque et Apostolorum exemplo commendavit, quodque Patres summis laudibus decorarunt, aliqua ex parte juri Divino posse adversari. Huic addatur exemplum tot illustrium virorum, qui a remotissima antiquitate singulari doctrinæ ac sanctitatis nota floruerunt, quique laudem et maximam omnium venerationem adepti sunt, qui tamen in Latina pariter ac in Orientali Ecclesia cælibem duxerunt vitam. Neque est credendum Ecclesiam, dono præditam infallibilitatis, aliquid contra jus divinum mandasse, cum tot Pontificis sanctionibus, Conciliorum decretis legem Cælibatus sacris ministris impositam probavit confirmavitque. Sed lex Cælibatus nec juri naturali adversatur; si qua enim foret repugnantia, dicendum quod Deus et Homo, Christus, Sanctissima Mater, Apostoli, quotquot Sanctos colimus Virgines, Monachorum cælus, eorumque Patriarchæ, contra jus naturæ peccaverint, a quo Christiana abhorret mens; horrendum enim est, atque blasphemum. Præterea ad repugnantiam illam efficiendam, aliqua naturæ lex exstare deberet, qua omnes et singuli humani generis individui ad matrimonium tenerentur, quod etiam cogitare est absurdum. Nam ea hypothesi omnes utriusque sexus sive pauperes sive divites; sive boni sive infirmi, sive pares sustinendis matrimonii oneribus, sive impares; sive servi, sive liberi, omnes hac lege ad nuptias contrahendas essent obstricti, quod equidem præter absurditatem pluribus in casibus esset impossibile. Hanc porro legem neque populi, neque cujuscunque ætatis sapientes, legislatores, et naturæ juris periti agnoverunt, nec quisquam ratione præditus agnosceret, cum et ipsi idolorum cultores Ægyptii, Indiarum incolæ, Persæ, Græci et Romani, Cælibatus cultores magno semper honore prosecuti sint, et non utpote naturalis legis infractores et reos propterea traduxerint. Henricus Morini, *Histoire critique du Celibat*; Albert. Fabricius, *Bibliograph. antiquaria*; De Maistre, *Du Pape*, lib. III, cap. 3, part. 1. De tota vero hac Cælibatus questione vid. Zaccar in toties laudata Historia sacri Cælibatus, et in nova sua Cælibatus defensione; Delingan. Joseph. Pium Joan. lib. cui titulus Cælibatus vindiciæ sub nomine Flamini Cephali, Perrone, Thomassin., Zallinger, aliosque Juris Ecclesiastici scriptores.

CALIX.

SUMMARIUM.

1. Calices in primis Ecclesiæ temporibus poterant esse etiam lignei, et vitrei. — 2. Tamen a multis sæculis obsolevit usus ille, et nunc non debent esse lignei, nec vitrei, nec de ære aut aurichalcho, aut cupro; sed tam ipsi Calices, quam Patenæ debent esse de auro, vel argento, vel saltem stamno ob magnam paupertatem. — 3. Calices et Patenæ debent consecrari ac Chrismate perungi. — 4. Calices et Patenæ consecrare de jure ordinario spectat ad Episcopos. — 5. Ex privilegio tamen possunt Cali-

ces ac Patenæ benedicere, seu consecrare Abbates, alique Prælati usum Pontificalium habentes, dummodo id faciant pro solo usu suarum Ecclesiarum. — 6. Abbates, alique Prælati usum Pontificalium habentes, si Calices et Patenæ consecrant pro usu aliarum Ecclesiarum, possunt ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis puniri, et coerceri Interdicto ab ingressu Ecclesiæ, et suspensione ab exercitio Pontificalium. — 7. Privilegium consecrandi Calices et Patenæ, cum ex Jure Ecclesiastico proveniat, potest a Summo Pontifice concedi

etiam simplicibus Sacerdotibus. — 8. Et de facto Paulus III concessit Presbyteris Societatis Jesu, ut in locis remotissimis Infidelium, ubi Catholici Episcopi nulli sunt, Altaria et Calices consecrare possint. — 9. Simile privilegium concessum fuit Minoribus de Observantia in partibus Indiarum. — 10. Calix et Patena duobus potissimum modis consecrationem amittunt, scilicet per fractionem, et per novam inaurationem. — 11. Per fractionem amittunt consecrationem, quando Patena est ita notabiliter fracta, ut Hostiam commode capere non possit, et Calix etiam ita notabiliter fractus, ut in eo commode Sanguis Christi consecrari non possit. — 12. Sic etiam per fractionem amittit Calix consecrationem, quando pes fixus in cuppa et non amovibilis, cum fractione separatur ab ipsa cuppa. — 13. Si autem pes Calicis sit amovibilis, et separatur a cuppa sine fractione, ut accidit in Calice tornatili, tunc per talem separationem non amittit consecrationem. — 14. Per novam inaurationem amittunt consecrationem, quando ratione auri amissi ex longo usu, denuo inaurantur quoad illam superficiem, quæ tangit Corpus et Sanguinem Christi; tunc enim opus est nova consecratione. — 15. Affertur et solvitur instantia; ad n. 16. — 17. Affertur et solvitur alia instantia; ad n. 18. — 19. Probabile est, Calicem non consecratum remanere consecratum, si in eo bona fide celebretur. — 20. Probabilius tamen dicendum est non sufficere consecrationem per contactum Corporis et Sanguinis Domini, sed ulterius requiri consecrationem ceremoniam, quæ fit per Chrismatis inunctionem, et benedictionem Episcopi, vel Abbatis, vel alterius ad id privilegium Pontificium habentis. — 21. Calix, Patena, et alia ornamenta, quæ immediate attingunt Corpus, et

(1. Calices licet in primis Ecclesiæ temporibus potuerint esse etiam lignei, et vitrei, ut testantur S. Hieronymus Epistol. 4. Strabo, de rebus Ecclesiæ, cap. 24, et Gratianus, in cap. Vasa 44, de Consecrat. distinct. 1 (1). (2. Tamen a multis sæculis obsolevit usus ille, et non debent esse lignei; quia cum lignum sit porosum, aliquid sanguinis subintraret; nec vitrei, aut ex crystallo propter fragilitatem, nec de lapide, propter ineptitudinem, nec de ære, aut aurichalcho, aut cupro, quia hæc propter æruginem vomitum provocat (2), sed tam ipsi Calices, quam Patenæ, debent esse de auro vel argento, vel stamno, ita ut si non ex auro, saltem ex argento fiant, vel ad minus, ob magnam paupertatem, ex stamno; Innocent. IV, in Constit. 26, incip. *Sub Catholica*, ibi: *Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stamneo Calice sacrificet*; cap. Calix 45, de Consecr., dist. 1, ibi: *Ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem, ut stamneum Calicem habeat; de ære aut aurichalcho non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præsumat Missam cantare.* (3. Calices, et Patenæ debent consecrari,

(1) De calicum materia, et forma ex veterum monumentis egregie disseruit cl. Præsul Dominicus Georgius in disquisitionibus de Sacro ministerio, cap. 3 de Liturg. R. P. T. 1. (EDIT. BARBIEL.)

(2) Regno, de Eccles. discipl. lib. 1 cap. 67 decretum ex Remensi Concilio, quod Baronius Durcortori Remorum sub Carolo M. celebratum putat, in hanc

Sanguinem Christi, non possunt tangi a Laicis, et multo minus a Feminis. — 22. Tangere enim vasa sacra, quando non continent actu Corpus et Sanguinem Christi, est restrictum Subdiaconis, private quoad alios Ministros non consecratos. — 23. Quando autem continent actu Corpus et Sanguinem Christi, tangi nequeant nisi a Sacerdotibus et Diaconis, private etiam quoad ipsos Subdiaconos. — 24. Facultas tangendi vasa sacra vacua, concessa videtur etiam Acolythis in ipso Missæ Ministerio. — 25. Hæc facultas tangendi vasa sacra vacua fuit postea ex privilegio concessa Laicis et Clericis Regularium nondum in Sacris constitutis. — 26. Quicumque autem non habet facultatem, nec ex vi suæ Ordinationis, nec ex speciali privilegio et permissione, si absque rationabili causa, et sine morali necessitate tangat vasa sacra, peccat saltem venialiter. — 27. Calices, aliaque vasa sacra urgente necessitate possunt vendi; cum hoc tamen, quod si vendantur Laicis, debent prius constari, vel saltem frangi; et solum Ecclesiasticis Personis possunt integra sine fractione vendi. — 28. Nec ratione consecrationis eorum, potest aliquid plus exigi ab emptoribus sive Laicis, sive Ecclesiasticis; aliter erit gravissimum Simoniacæ peccatum. — 29. Calix non est ponendus in manibus Sacerdotum defunctorum. — 30. Utrum Calix in line Missæ totus debeat velari in anteriori parte. — 31. De Calicis usu Laicis, etc., aliquando permissio. *Remissive* — 32. Calices consecrare possunt Vicarii Generales sede vacante. — 33. Quis teneatur præstare Calices Ecclesiæ Parochiali. *Remissive*. — 34. Calix unde dictus. — 35. Varia ejus nomina. — 36. Et plura Calicum genera.

ac Chrismate perungi; cap. *Cum venisset 1*, de Sacra Unctione. § *Ungitur*. Imo contra eum, qui utitur Calice ligneo, aut non consecrato, constituta est pena depositionis ab Officio et Beneficio; cap. *Litteras 14*, de Celebrat. Missar.; Bonacina, de Sacrament., disp. 4, qu. ultim., punct. 9, num. 16; Lezana, in Summa, verb. *Calix*, n. 2.

(4. Calices, ac Patenas consecrare de jure ordinario spectat ad Episcopos, quia est actus Ordinis Episcopalis; Sylvester, in Summa, verb. *Benedictio*, num. 2 et 3; Barbosa, de Offic. et potest. Episcop., allegat. 27, n. 35, et alii ibi citati; arg. cap. *Abbatibus 3*, de Privileg. in 6; cum enim in tali consecratione adhibeatur Sacra Unctio, vel Oleum Sanctum, ab ipso tantum Episcopo ordinato et consecrato benedicenda, inungenda, et consecranda sunt de Jure ordinario, uti omnia alia in quibus adhibetur Sacra Unctio; arg. cap. *Cum venisset 1*, de Sacra Unctione; et censuit Sacra Rituum Congregat., in Imolensi, 14 Novembris 1615; In Savonensi, 3 Decemb. 1616; In Taurinen., Pistorien. et Tarvisina, 2 Maii 1619; In Novarien., 21 Martii 1620; In Tridentina, 7 August. 1521, et in Caputaquen., 20 Jul. 1630. (5. Ex privilegio tamen possunt Calices et Patenas benedicere seu consecrare Abbates aliique Præ-

rem affert. Reddo illud: *ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro, omnimodis ex argento fiat... Si quis autem tam pauperimus est, saltem vel stamneum calicem habeat; de ære autem, aut ex aurichalcho non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo Calice præsumat cantare.* (EDIT. BARBIEL.)

lati usum Pontificalium habentes, ut expresse declaravit Sac. Cong., in Patavina, 5 April. 1620, dummodo id faciant pro solo usu suarum Ecclesiarum, ut pluries censuit Sacra Congregatio, et signanter 27 Septembr. 1659, § 19, in Decreto circa usum Pontificalium Prælati Episcopo inferioribus concessorum coram Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII, emanato; ibi: *Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta Campanarum benedictiones, Calicum, et similia, in quibus Sacra adhibetur Unctio, necnon Minorum Ordinum Collationes.*

(6. Imo possent ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, Abbates, aliique Prælati usum Pontificalium habentes Censura Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, vel Suspensionis ab exercitio Pontificalium puniri, et coerceri, si Calices, Patenas, et Paramenta Sacra pro usu aliarum Ecclesiarum, quam suarum benedicerent, cum eis expresse sit vetitum a Decretis generalibus Sacr. Congregationis Rituum emanatis 27 Septemb. 1659 et 20 Julii 1660, quoad hoc, confirmatis, et approbatis ab Alexandro VII, ut videri possunt, verb. *Abbas*, sub num. 31, in quibus datur Ordinariis facultas inobedientes et transgressores per Censuras compellendi. (7. Privilegium benedicendi Calices, et Patenas, cum ex Jure Ecclesiastico proveniat, potest a Summo Pontifice concedi etiam simplicibus Sacerdotibus, ut ex communi notat Barbosa, part. II de Offic. et potest. Episcop., alleg. 27, num. 26. (8. Et de facto Paulus III, anno 1549, concessit Presbyteris Societatis Jesu, ut in locis remotissimis Infidelium, ubi Catholici Episcopi nulli sunt, Altaria, et Calices consecrare possint, ut referunt plures, et signanter Suarez, t. II, disp. 81, sect. 71, vers. *Alia autem*. (9. Simile privilegium concessum Fratribus Minoribus de Observantia in partibus Indiarum referunt plures, et signanter Rodriq., t. I, Regul., qu. 1, art. 4.

(10. Calix, et Patena duobus potissimum modis consecrationem amittunt, scilicet per fractionem, et per novam inaurationem. (11. Per fractionem amittunt consecrationem, quando Patena est ita notabiliter fracta, ut hostiam commode capere non possit, et Calix etiam ita notabiliter fractus, ut in eo commode Sanguis Christi consecrari non possit; Barbosa, loco cit., num. 37, cum Vasquez, S. Thoma, et aliis ibi citatis. (12. Sic etiam per fractionem amittit Calix consecrationem, quando pes fixus in cuppa, et non amovibilis, cum fractione separatur ab ipsa cuppa, quia Calix in tali eventu amittit suam figuram, et non est amplius aptus ad usum ad quem fuerat factus; Suarez, disp. 81, sect. 7, vers. *Rursus inquiri potest*; Paludan., in 4, dist. 13, quæst. 2, art. 5, conclus. 2, et multi alii cum Barbosa, loco cit., num. 40. (13. Si autem pes Calicis sit amovibilis, et separatur a cuppa sine fractione, ut accidit in Calice tornatili, cujus partes separan-

tur absque fractione, tunc per talem separationem non amittit consecrationem, cum adhuc remaneat aptus ad usum ad quem fuit factus, et adhuc retineat suam figuram; ideo enim Calix fit tornatilis, ut possit facile separari. Sic absolute Silvius, in II part. S. Thomæ, qu. 83, art. 3, qu. 6, præcisus his verbis: *Si tamen esset Calix tornatilis ita per artem factus, ut pes a Cyatho posset separari; dicendum est, quod per separationem non perderet consecrationem... quia per ejusmodi separationem non diceretur Calix frangi, vel scindi*; Suarez, loco cit.; Naldus, in Summa, verb. *Calix*, num. 6, et alii cum Barbosa, loco cit., num. 40. (14. Per novam inaurationem amittunt consecrationem, quando (ratione auri amissi ex longo usu, vel ex abusu quorundam Sacerdotum, qui, ut ait Gobat, t. I, tract. 8, cas. 10, num. 310, et Sporer, t. III, part. II, cap. 6, sect. 2, n. 395, toto nisu manuum scrupulose simul, et ridicule Calices Purificatorio detergant, vel potius, ut ita dicam, auro expoliant) denuo inaurantur, quoad illam superficiem, quæ tangit Corpus et Sanguinem Christi, tunc enim opus est nova consecratione, ex eo quod consecratio Calicis et Patenæ fit præcipue propter contactum Corporis et Sanguinis; posita autem nova inauratione contactus ille nequit amplius fieri in parte seu superficie consecrata, cum aurum de novo additum non sit consecratum; Suarez, t. I, disp. 81, sect. 3, vers. *Solet vero*; Rossignol., de Eucharist., quæst. 9 de Ritibus, art. 2, num. 16 et 17. Angelus verb. *Calix*, num. 2. Barbosa, loco cit., n. 38, cum plurimis ibi citatis, qui dicunt talem esse praxim Ecclesiæ, et receptam consuetudinem Calices denuo consecrandi, cum denuo inaurantur.

(15. Nec valet objicere, quod sicuti Calix, et Patena non indigent nova consecratione, cum per diuturnum usum amittunt inaurationem, ut tenent communius Doctores, ita non indigent nova consecratione, cum de novo inaurantur. (16. Non valet, inquam, quia in tantum Doctores communius tenent Calicem argenteum non obstante amissione inaurationis adhuc remanere consecratum, nec indigere nova consecratione, quia non fuit consecratum ipsum solum aurum Calicis secundum se, sed fuit consecratus totus Calix per modum unius, adeoque nihil tunc intervenit, quod nondum fuerit consecratum. In casu autem novæ inaurationis intervenit aurum de novo additum, quod non est consecratum, et consequenter necessaria est nova consecratio, cum ipsum aurum additum immediate tangat Corpus et Sanguinem Christi.

(17. Nec valet instare, quod major pars trahat ad se minorem, adeoque consecrationem Calicis consecrati redundare in aurum de novo additum, tanquam in accessorium, et minus principale, et sic ipsum reddere sacrum absque nova consecratione; arg. *Quod in dubiis 3*, de Consecrat. Eccles. vel Altar. (18. Non valet, inquam, quia major pars trahens ad se minorem non censetur ea, quæ est major quantitate molis, sed quæ